

stellarum æqualiter moueri, quod erat demonstrandum. Eius autem inæqualitas demonstratur, quòd motus centri ac annuæ reuolutionis terræ, non sit omnino circa Solis centrum. Quod sanè duobus modis intelligi potest, uel per eccētrum circulum, id est, cuius centrum non sit Solis, uel per epicyclium in homocentro. Nam per eccentricum declaratur hoc modo. Sit enim eccentricus in plano signiferi orbis  $ABCD$ , cuius centrum  $E$  sit extra Solis mundiue centrum non ualde modica distantia, quod sit  $F$ , dimetiens eius per utrunq; centrū  $AEFD$ , sitq; apogeeum in  $A$ , quod à Latinis summa absis uocatur, remotissimus à centro mūdi locus,  $D$  uero perigeum, quod est proximum & infima absis. Cum ergo terra in orbe suo  $ABCD$ , æqualiter in  $E$  centro feratur, ut iam dictum est, apparebit in  $F$  motus diuersus. Sumptis enim æqualibus circumferentijs  $AB$ , &  $CD$ , ductisq; lineis rectis  $BE, CE, BF, CF$ : erunt quidem  $ABB$ , &  $CED$ , anguli æquales, quibus circa  $E$  centrum circumferentiæ subducuntur æquales. Angulus autem qui uidetur  $CFD$ , maior est angulo  $CED$ , exterior interiori: idcirco etiam maior angulo  $ABB$ , equali ipsi  $CED$ . Sed &  $ABB$  angulus exterior, est interiori  $AFB$  angulo maior, tãto magis angulus  $CFD$ , maior est ipsi  $AFB$ . Vtrumq; uero tempus æquale produxit propter  $AB$ , &  $CD$  circumferentias æquales. Æqualis ergo motus circa  $E$ , inæqualis circa  $F$  apparebit. Idē q; licet uidere, ac simplicius, quòd remotior sit  $AB$  circumferentia ab ipso  $F$ , quàm  $CD$ . Nam per septimam tertij elem. Euclidis, lineæ quibus excipiuntur  $AF, BF$ , longiores sunt quàm  $CF, DF$ , atq; ut in opticis demonstratur, æquales magnitudines quæ propiores sunt, maiores apparent remotioribus. Itaq; manifestū est, quod de eccentro proponitur. Estq; prorsus eadem demonstratio, si terra in  $F$  quiesceret, atq; Sol in  $ABC$  circumcurrente moueretur, ut apud Ptolemæum & alios. Idem quoq; per epicyclium in homocentro declarabitur. Esto enim homocentrica  $BCD$ , centrum mundi  $E$ , in quo etiam Sol, sitq; in eodem plano  $A$  centrum epicycli  $FG$ , & per ambo centra linea recta  $CEAF$  ducatur, apogeeum epicycli sit  $F$ , perigeum  $I$ . Patet igitur æqualitatē

y esse

